

1464 in his Brandolinus ipse, & Joannes Attellanus, qui pridie illius diei ex Methona cum Andrea Dandulo legato ad Mantineam venerat, Joannes Massanu, ac plerique alii vi- ri illustres, qui in illis castris honestissimos ordines duce- bant. Circa insulas quoque nihilo melius Respublica per id tempus gesta est: quibus recognitis, novissime Ursatus in Lemnum transmiserat, eaque perlustrata, in Eubœam rever- sus, quum supplementum nuper ab urbe missum accepis- set, explevissetque quadraginta triremium biremiumque nu- merum, in Lesbum insulam ferociter movit. Ex Eubœa in Lemnum prima velificatione pervenit: hostiumque bire- mi inter eundum oppressa, decem negotiatores Turcos qui in ea erant, trucidari jussit: reliquos partim laqueo, par- tim fluctibus necundos curavit. Ex Lemno noctu solvens, tertia diei hora Mitylenen, oppidum totius insulæ illustris- sum, tumultuose invadit. Duplex est illi portus, ad septentriōnem unus, alter ad meridiēm. Hunc aliquanto remotiorem classis infedit. Ingens ex agris fuga facta est, ac tota insula vehementer trepidatum. Trecenti & amplius Turcorum, qui ad naves ducti sunt, Ursati jussu partim palo affixi sunt, partim fluctibus mersi, nonnulli etiam la- queo necati. Paucis inde diebus sub auroram a mari & a continentī urbem adortus est: præmissis Genuensi una one- raria, quam ad hoc ipsum suo cursu averterat, & Dalmat- ica triremi, ad turrim quæ portui imminebat, occupan- dam, ipse interim aversa parte copias in terram exponit. Earum, quæ missæ erant utraque sub primum appulsum validis tormentorum ictibus concussa cessit. Turmæ interea sociique navales in terram expositi, ferociter urbem ador- ti munitiones subeunt, in apertumque mortis discrimen temere ruunt, certamenque miro animorum ardore initum, in sex horas ingenti Venetorum cæde est distractum: telo- rum multitudine crebrisque vulneribus milites afflicti, post ingentem cladem demum victi cessere: ad tria fortium vi- rorum millia eo die desiderata dicuntur. Nec ad eam cla- dem Venetus remisit animum: paucis diebus interjectis atro- ciore pugna hostem adortus, post varios conatus pene pari

cæde

*Ursatus Ju-  
stinianus  
Mitylenas  
oppugnare  
adortitur bis  
magna suo-  
rum cæde.*